

2. SUPREMO TRIBUNALE DELLA SIGNATURA APOSTOLICA – Decreto del Segretario (Daneels), *Di sustentamento* – Prot. N. 47313/12 CA [contenzioso amministrativo], 11 marzo 2013.<sup>2</sup>

Prot. N. 47313/12 CA  
*Sustentationis*

#### DECRETUM

Rev.do D.no N., presbytero dioecesi x incardinato, Exc.mus Episcopus dioecesanus decreto diei 18 augusti 2008 censuram suspensionis irrogavit. Anno autem 2011 idem Exc.mus Episcopus processum poenalem institui curavit contra Rev.dum presbyterum, cuius occasione promississe asseritur se ei mensuum stipendium persoluturum esse, silens tamen de “repasso financeiro correspondente ao tempo decorrido desde o decreto de Suspensão”.

Mense septembri anni 2011 Rev.dus Recurrens pensionem recepit, sed die 27 octobris insequentis Cl.mus Advocatus Episcopi dioecesani solutionum suspensionem nuntiavit. Rev.dus presbyter tunc die 1 ianuarii 2012 ad Congregationem pro Clericis recurrit, quae recursum die 7 augusti 2012 reiecit.

Rev.dus D.nus N. tandem die 26 octobris anno 2012 ad H.S.T. recurrit.

Actis a Congregatione exquisitis iisque die 12 novembris 2012 receptis,

#### SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examinata;

Praemisso quod iuxta can. 1734 antequam quis recursum proponat, debet decreti revocationem vel emendationem scripto ab ipsius auctore petere intra peremptorium terminum decem dierum utilium a decreto legitime intimato;

Perpenso quod Congregatio pro Cle-

ricis in decreto adnotavit: "visto quanto establecido pelos cânones 1734, § 3, 1°; 1735; 1737, § 2, CIC, para a apresentação de um Recurso Hierárquico";

Perspecto quod Congregatio ita decrevit remonstrationem omissam fuisse ac recursum hierarchicum terminis elapsis propositum fuisse;

Considerato, subordinate, quod iuxta can. 1350, § 1 Rev.dus N. ius habet ad sustentationem non autem ad menstruam remunerationem de qua in can. 281, ac proinde Rev.dus Recurrens assidue probare debet se inopia laborare quodque ipse hanc probationem non exhibuit;

Cum ergo non appareat ullum indicium violationis legis sive in procedendo sive in decernendo relate ad impugnatum decisionem Congregationis pro Clericis;

Praetermissis omnibus aliis forte animadvertendis;

Auditis Rev.mo Promotore Iustitiae et Rev.mo Promotore Iustitiae deputato;

Vi art. 76, § 1 *Legis propriae* H.S.T.,

**decrevit:**

**Recursum in limine reiciendum esse et facto reici ob evidentem defectum fundamenti.**

Adversus hoc decretum datur recursus ad Congressum intra peremptorium decem dierum terminum ab eodem recepto (cf. art. 76, § 3 *Legis propriae* H.S.T.).

Et notificetur omnibus, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 11 martii 2013.

✠ FRANCISCUS DANEELS, o.praem.  
Secretarius

Iosephus Ferdinandus MEJÍA YÁÑEZ,  
m.g., *Cancellariae Praepositus*